

**III. ORATIO CAMILLI AD PAEDAGOGUM FALISCORUM,**  
**in castris deprehensum cum pueris.**

**Lib V, cap. XXVII.**

M. Furio Camillo mandatum erat bellum adversus Faliscos: quo bello fusi fugatique Falisci, amissis castris, in oppidum se receperunt. In obsidione oppidi, ludimagister Faliscorum pueros, lusus exercendique causa ingenii, ante urbem producens, longius forte, variatis sermonibus, progressus, in praetorium ad Camillum perduxit. Ibi, quum Faliscos diceret a se jam in manus Romanorum traditos, quod pueros eos dederet, quorum parentes primores essent Faliscorum, in hanc sententiam respondit Camillus.

«Non ad similem tui nec populum, nec Imperatorem, scelestus ipse cum scelesto munere venisti. Nobis cum Faliscis, quae pacto fit humano, societas non est: quam ingeneravit natura, utrisque est, eritque. Sunt et belli, sicut pacis, jura: justeque ea, non minus quam fortiter, didicimus gerere. Arma habemus non adversus eam aetatem, cui etiam, captis urbibus, parcitur: sed adversus armatos, et ipsos, qui, nec laesi, nec lacessiti a nobis, castra Romana ad Vejos oppugnarunt. Eos tu, quantum in te fuit, novo scelere vicisti: ego Romanis artibus, virtute, opere, armis, sicut Vejos, vincam.»

**IV. ORATIO M. FURI CAMILLI DICTATORIS,**  
**qua suos perterritos hostium numero adhortatur.**

**Ex Lib. VI. Cap. VII.**

Ad Satricum Antiantes, cum Volscorum, Latinorum Hernicorumque ingenti multitudine, sumserant arma contra Romanos. Quod bellum Camillo dictatori mandatum fuit. Ibi, cum viso, inspectoque hostium ingenti numero, milites commoti perturbatique, singulis cum centenis congregendum esse, conclamarent: Camillus in equo, inter aciem, obequi-